



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**


Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino

**Vindalium, 1646**

Sect. I. An detur in Deo, & quid cognoscat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38742**



## CAPVT IV.

*De scientia Dei, eiusque obiecto.*

---

 SECTIO I.

*An detur in Deo, & quid cognoscat.*

## CONCLUSIO I.

**I**N Deo ponenda est vera aliqua scientia quæ sit per modum actus secundi, eaque vnica seu simplicissima. ) Ac 1. quod in Deo sit vera aliqua scientia, certum est ex fide, vt satis patet ex Scripturis. Hester. 14. Domine qui habes omnem scientiam. Roman. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei: aliisque locis. Ratio autem est quia cum Deus sit ens perfectissimum, in perfectissimo gradu entis constitui debet, nempe in gradu substantiæ, & vitæ intellectualis. Confirmatur, nam cognitio intellectualis, est quædam perfectio simpliciter simplex, imò inter rerum perfectiones potissima, cum per illam co-

gnosceus fiat quodammodo omnia: ergo non potest denegari Deo entium perfectissimo.

Secundò quod scientia diuina sit per modum actus secundi, facile probatur, quia si esset per modum actus primi, esset potentia elicitua actus secundi, illiusque receptiua, quod repugnat puritati, & simplicitati diuinæ.

Neque dicas actum secundum dicere ordinem ad primum: hoc enim verum est de actu secundo qui se habet per modum actionis elicite, & receptæ; at intellectio diuina non ita se habet à parte rei, sed per modum per se subsistentis, & identificatæ cum substantia diuinæ; quamquam iuxta conceptum nostrum, intellectio distinguatur in Deo ab intellectu, & hic à substantia, vt patet ex alijs dictis.

Tertiò quòd sit vnica simplicissima probatur, quia licet ratione obiectorum variæ à nobis scientiæ distinguantur in Deo, tamen à parte rei est vnica, eò quòd identificatur cum essentia diuina, quæ vnica & simplicissima est deinde vt attingit Deum simplicissimum est simplicissima. Item vt fertur in res possibles, quia illas videt in Deo: ac denique vt versatur circa futura, quia ad

hoc non indiget aliqua entitate superaddita, sed tantum quod res sint futurae: unde adæquatè spectata vnica est & simplicissima.

CONCLUSIO II. Scientia Dei est perfectissima, & vniuersalissima.) Quòd sit perfectissima multipliciter ostenditur, nam Deus vitam intellectiuam possidet modo perfectissimo, ipse est obiectum suæ scientiæ ab ea comprehensum, eumque infinito lumine præditus sit, eius scientia continet euidentiã, certitudinem, omnesque perfectiones scientiæ creatæ; denique modus quo res cognoscit est perfectissimus, tum quia est sine discursu, siue secundum successiõnem, siue secundum causalitatem, quia omnia videt in seipso; tum quia est sine compositione, eò quòd essentia diuina potest simul repræsentare subiectum, & quidquid subiecto competit: tum quia est plane inuariabilis, non tantum entitatiue, seu quatenus identificatur cum essentia diuina, sed etiam formaliter in ratione sciētix; quia cum Deus sit infinite intelligens, repugnat quòd aliquid ignoret, aut quòd in cognitione rei antea perceptæ proficiat.

Quòd etiam sit vniuersalissima hinc perspicuum est, quia consummatam

Dei perfectionem attinet, quòd illius scientia se extendat ad omnia scibilia, eaque comprehendat. Confirmatur, nam quidquid est intelligibile, vel est Deus, vel est creatura aliqua; siue possibilis, siue existens. At hæc omnia à Deo cognosci ex dicendis manifestum fiet: quãdo autem S. Tho. 1. p. q. 14. art. 1. ad 3. negat scientiam Dei esse vniuersalem, aut particularem, vult dicere eam non respicere rationes tantum vniuersales, aut particulares duntaxat: quod non impedit, quin alio sensu sit vniuersalis, quatenus nempe rationes tam vniuersales, quàm particulares contemplatur.

**CONCLUSIO III.** Deus seipsum cognoscit, imò & comprehendit, cognoscit etiam possibilia, per scientiã quam vocant simplicis intelligentiã.) Prima pars probatur, quia scientia Dei eum sit infinita, se extendit ad omnia intelligibilia, & aliunde Deus est maxime intelligibilis, sibi que summè vnitus, ergo seipsum intelligit. Confirmatur, nam nullum est obiectum magis proportionatum scientiã Dei, quàm ipsemet Deus; ergo vel nihil, vel seipsum intelligit.

Secunda pars ostenditur, cum quis

I. Cor. 2. dicitur Spiritum, scilicet sanctum, omnia scrutari etiam profunda Dei: tum quia sicut Deus, quia est infinite perfectus, est infinite cognoscibilis, ita ob eandem rationem est infinite cognoscitius; ac proinde cum sit adæquatio inter cognitionem, & cognoscibilitatem illius, se cognoscit quantum cognoscibilis est, quod est seipsum comprehendere ex supradictis.

„ Dices, S. Thomas. I. p. quæst. 12. art. 3. ait tunc aliquid comprehenditur, quando peruenitur ad finem cognitionis ipsius; Deus autem non habet finem cognitionis ipsius; Deus autem non habet finem cognoscibilitatis suæ: ergo non potest à se ipso comprehenditur. Confirmatur, quia Augustinus ibidem relatus, ait, id quod comprehendit se, finitum esse sibi. Respondeo prædicta non esse intelligenda positivè sed negativè: non enim est sensus, id quod comprehenditur, debere esse finitum positivè, sed nihil esse in illo, quod non cognoscatur: ita ut cognoscibilitas rei non excedat cognitionem, quam intellectus de illa habet. Vnde cum Deus seipsum perfecte cognoscat, potest dici, eo sensu, finitus sibi, licet simpliciter sit infinitus.

Tertia pars suadetur 1. quia Deus Rom. 4. vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. 2. quia scientia Dei nõ minus latè patet quam illius potentia: hæc autem se extendit ad omnia possibilea, ergo & illa. Confirmatur; nam Deus suam omnipotentiam comprehendit ex dictis, ergo nouit omnes effectus ab ea producibiles. Idque secundum esse proprium, & formale quod in seipsis extra Deum habere possunt: tale enim esse est obiectum diuinæ omnipotentia, non autem illud quod habent in Deo; cum hoc sit ipsamet essentia Dei omnino improducibilis, & incorruptibilis.

„ Dices, scientia Dei non terminatur ad nihil, sed ad aliquid reale; at res possibilee nihil sunt reale. Respondeo re possibilee nihil esse reale actu, esse tamè aliquid reale in potentia: quatenus ipsa ex se dicit non repugnantia, vt fiat vera entitas realis, & actualis: & in Deo est sufficiens virtus ad eam è nihilo eruenda.

„ Quòd si instes, obiectum scientia diuinæ debere actu existere. Respondeo id verum esse de obiecto primario, quod motiuum vocant non autem de obiecto secundario, & pure terminatiuo, qualia sũt entia possibilea: ad hoc enim obiectũ sufficit, vt habeat tale esse, quale requiritur.

tur ad veritatem scientiæ: at deus non cognoscit res possibles vt habentes esse actu, sed tantum in potentia: quare hoc sufficit, vt scientiam diuinam terminet: sicut etiam rosa possibilis terminat scientiam, quam Angelus de illa habet.

CONCLUSIO. IV. Deus per scientiam, quam vocant visionis, cognoscit res omnes existentes in aliqua differentia temporis, ac speciatim contingenter futuras.) Prima pars probatur primò ex verbis illis Genes. 1. Vidit deus cuncta quæ fecerat, quibus adde illa Iob 28. Ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub celo sunt respicit.

Secundo ratione. Nam Deus suam potentiam & voluntatem comprehendit, ergo videt omnes effectus qui ab ea pendent; presertim quia cum sit agens per intellectum, negari non potest quin cognoscat quæ ipse facit; siue per se solum siue simul cum causis secundis. At quidquid quouis tempore existit, à Deo procedit, altero ex his modis; ergo id totum ab eo cognoscitur. Confirmatur, nam deus habet perfectissimam rerum prouidentiam ex infra dicendis, adeoque illas ordinat in suos fines, quod præstare non posset si illas non cognosceret.

„ Dices 1. contingens est quod creaturæ existant, & consequenter quod cognoscantur vt existentes : quare si earum scientia ponatur in Deo, ea erit contingens, & mutabilis. Respondeo scientiam Dei circa futura, esse simpliciter necessariam, quoad entitatem : quoad terminationem verò non esse simpliciter necessariam, sed tantum ex suppositione quòd res existant.

„ Dices 2. ex Hieron. cap. 1. Habac. absurdum esse ad hoc deducere diuinam maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotue moriantur. Respondeo sensum esse, vt patet ex sequentibus, Deum non habere æqualem curam de irrationalibus, ac de hominibus : quo etiam sensu ait Paulus 1. Cor. 9. Nunquid de bobus cura est Deo ?

„ Dices 3. ex August, in Enchirid. cap. 17. melius esse quædam nescire, quàm scire, Respondeo hoc melius esse, quando eorum cognitio impedit notitiam rerum perfectiorum, vel ad malum inducit. Quod in nobis contingere potest non in Deo.

• Secunda pars ostenditur 1. ex verbis illis Psal. 138. Intellexisti cogitationes meas de longe, id est, ab æterno, & ex

illis Isaiaë 41. Annúciate quæ vétura sūt:  
in futurū, & sciemus quia Dī estis vōs.

Secundò Deus est infinite cognosci-  
tius, ergo illius cognitio se extendit  
ad omnia intelligibilia: atqui actus cō-  
tingenter futuri, sicut vere sunt futuri,  
ita, vere sūt intelligibiles; ergo intuitus  
diuinus ad eiusmodi actus se extendit.

Tertiò Deus cognoscit actus liberos  
nostræ volūtatis quādo existunt, vtpatet  
ex dictis; ergo & quādu futuri sūt, quia  
aliàs mutaretur. Hinc Deus eiusmodi  
futura perfecte nouit ab æterno, cū ab  
æterno sint vera, neque ipse possit de  
nouo aliquid addiscere in tempore.

Nota futura contingentia esse indiffe-  
rentia ad vtrumlibet, vt sunt in suis cau-  
sis, & sic non posse certò cognosci, etiam  
à deo, vt ex infrà dicendis magis pate-  
bit; esse tamen in seipsis determinate ve-  
ra, & ita à deo cognosci; vnde Christus  
prædixit peccatum Petri, vt determinate  
futurum; quamuis in se Petrus indiffe-  
rens ad peccandum, aut non peccandum,  
manserit.

CONCLUSIO V. Deus co-  
gnoscit non entia, cognoscit etiam mala,  
idque per bonitatē formæ, vel actus quo  
priuant.) Prima pars suadetur distingue-  
do varios gradus non entis. Nam in pri-

mis non ens dicitur quod actu non existit, vt possibile quæ nunquam erunt, & futura quæ aliquando existent; & ista à Deo cognosci iam ostensum est.

Secundò negationes & priuationes dicuntur non entia, & hæc etiam nouit Deus, idque simplici intuitu tum quia comprehendit cognitionem quam nos habemus de eiusmodi non entibus: tum quia aliàs non cognosceret omne verū, verbi causa hominem non esse leonem, aërem noctu esse tenebrosum, & sic de aliis.

Tertio entia rationis dicuntur non entia, & hæc etiam à Deo cognoscuntur, quia cum perfectè intellectum nostrum comprehendat, bene nouit entia rationis quæ à nobis effinguntur. Vnde etsi non sint in illius intellectu subiectiue propriè loquendo, sunt tamen in eo obiectiue.

Nota conceptum quem intellectus noster format de chimera esse ens reale, sicque ab essentia diuina perfectè representari, non tamen propterea à Deo propriè fingi ens rationis; quia ex cōmuniōis sententia, tunc fit ens rationis, quando concipitur aliquid impossibile, ac si verè esset possibile, & non ens, ac si verè esset ens: vt dum consideramus

tenebras tanquam spatium aliquod obscurum, & cæcitatem per modum cuiusdam formæ positiuæ oculum afficientis. Deus autem non aliter singula intelligit quàm sint, ideóque impossibilia & fictitia cognoscit per dissensum, negádo ea esse, aut esse posse à parte rei, quæ nos ut possibilia, aut existentia effingimus.

Secunda pars ex eo manifesta est, quia duplex est malú, aliud pœnæ, aliud culpæ, prius causatur à Deo, posterius permittitur: quare vtrumque ab illo cognosci debet. De priori intelligitur illud Amos 3. Si est malum in ciuitate quod non fecerit Dominus. De posteriori verò illud Psal. 50. Et malum coram te feci. Neque refert illud Habac. 1. Múdi sunt oculi tui, ne videant malú: ibi enim videre sumitur pro approbare.

„ Tertia pars intelligitur de malis quæ consistunt in priuatione, & sic facile probatur, nam priuatio cognoscitur per suum oppositum, ut cæcitas, per visum, tenebræ, per lumen: & peccatum omissionis, per actum præceptum, qui prætermittitur. An autem peccatum cõmissionis formaliter spectatum, per formam oppositam intelligatur, pendet ab illa quæstione, de qua in 2. cap. 2. antalis peccati malitia consistat in priuatione.